

Oratio.

Præsta quæsumus omnipotens Deus: ut beati Zephyrini Martyris tui atque Pontificis, cujus gaudemus meritis, instruamur exemplis. Per Dñm.

Lectio Iij.

Ephyrinus Romanus, Severo imperatore ad regendam Ecclesiam assumptus, sancivit, ut qui ordinandi essent, opportuno tempore, et multis presentibus clericis et laicis, de more sacris initiarentur: doctique ac spectatæ vitæ homines ad id officii munus deligerentur. Decrevit præterea, ut rem divinam facienti Episcopo sacerdotes omnes astarent. Idem instituit, ut Patriarcha, Primas, Metropolitanus adversus Episcopum non ferant sententiam, nisi apostolica auctoritate fulti. Vixit in pontificatu annos decem et octo, dies decem et octo. Habuit ordinationes quatuor mense Decembri, quibus creavit Presbyteros tredecim, Diaconos septem, Episcopos per diversa loca tredecim. Antonino imperatore martyrio coronatus

est, et sepultus via Appia prope cœmeterium Callisti, septimo Kalendas Septembris.

Te Deum laudamus. 18.

In Laudibus. Añã. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

℞. Justus ut palma.

Vesperæ de sequenti.

DIE XXVII. AUGUSTI.

S. Josephi Calasanctii

Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. [97] præter seq. (m. t. v.)

Oratio.

Deus qui per sanctum Josephum Confessorem tuum, ad erudiendam spiritum intelligentiæ ac pietatis juventutem, novum Ecclesiæ tuæ subsidium providere dignatus es: præsta quæsumus, nos ejus exemplo et intercessione ita facere, et docere, ut præmia consequamur æterna. Per Dñm.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio Iij.

Josephus Calasanticus a Matre Dei, Petraltæ in Aragonia nobili genere natus,

Lectio v.

IN Urbe summa vitæ asperitate, vigiliis et jejuniis corpus affligens, in orationibus et cœlestium rerum contemplatione dies noctesque versabatur, septem ejusdem Urbis ecclesias singulis fere noctibus obire solitus: quem inde morem complures annos servavit. Dato piis sodalitatibus nomine, mirum quanto ardore pauperes, infirmos potissimum, aut carcèribus detentos eleemosynis, omnique pietatis officio sublevaret. Lue Urbem depopulante, una cum sancto Camillo, tanto fuit actus impetu caritatis, ut præter subsidia ægròtis pauperibus large collata, ipsa etiam defunctorum cadavera suis humeris tumulanda transfèret. Verum cum divinitus accipisset, se ad informandos intelligentiæ ac pietatis spiritu adolescentulos, præcipue pauperes, destinari, ordinem clericorum Regularium pauperum Matris Dei scholarum piarum fundavit, qui peculiarem curam circa puerorum eruditionem ex proprio instituto profiterentur a teneris annis futuræ in pueros caritatis et eorum institutionis indicia præbuit. Nam adhuc parvulus eos ad se convocatos in mysteriis fidei, et sacris precibus erudiebat. Humanis divinisque litteris egregie doctus, cum studiis theologicis Valentia operam daret, nobilis potentisque feminae illecebris fortiter superatis, virginitatem, quam Deo voverat, inoffensam insigni victoria servavit. Sacerdos ex voto factus, a compluribus Episcopis in Castellæ Novæ, Aragonia, et Catalunia regnis in partem laboris ascitus, exspectationem omnium vicit, pravis ubique moribus emendatis, ecclesiastica disciplina restituta, inimicis cruentisque factionibus mirifice extinctis. At cœlesti visione, et Dei voce frequenter admonitus, Romam profectus est. ℞. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℞. Justum deduxit Dominus, per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. — Et dedit.

tur : ipsúmque órđinem a Cleménte octávo, a Paulo quinto aliisque summis Pontificibus magnópere probátum, brevi témpore per plúrimas Európe provincias et regna mirábíliter propagávit. In hoc autem tot labóres perpéssus est, ac tot ærúmnas invicto ánimo tolerávit, ut ómnium voce miraculum fortitúdinis, et sancti Jobi exémplum dicerétur.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. **V.** Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vj.

Quamvis órđini univérso præesset, totisque víribus ad animárum salutem incumberet, nunquam tamen intermísit púeros, præsertim pauperiores, erudire, quorum scholas vérrere, eosque domum comitari consuevit. In eo summæ paciéntiæ et humilitátis múnere, valetúdine étiam infirma, duos et quinquaginta annos perseverávit : dignus propterea, quem crebris Deus miraculis co-

ram discipulis illustráret, et cui beatíssima Virgo cum púero Jesu, illis orántibus benedicénte, apparéret. Amplíssimis ínterim dignitátibus repudiáttis, prophetía, ábdita córdium et abséntia cognoscéndi donis, et miraculis clarus, Déiparæ Virginitatis, quam singulári pietáte et ipse ab infántia cóluit, et suis máxime commendávit, aliorúmque Cœlitum frequénti apparitíone dignátus, cum óbitus sui diem, et órđinis tunc prope evérsi restitutiónem atque incrementum prænuntiáset, secúndum et nonagésimum annum agens, Romæ obdormívit in Dómino, octávo Kaléndas Septémbris, anno milésimo sexcentésimo quadragésimo octávo. Ejus cor, et lingua post sæculum íntegra et incorrupta repérrta sunt. Ipse vero multis post óbitum quoque signis a Deo illustrátus, primum a Benedicto decimoquárto Beatorum cultu decorátus fuit, ac deinde a Cleménte decimotértio inter Sanctos solémniter est relátus.

R. Iste homo. [105]

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. xvij.

In illo témpore : Accesserunt discipuli ad Jesum, dicétes : Quis, putas, major est in regno cœlorum? Et réliqua.

Homilia sancti Joánnis Chrysóstomi.

In cap. xvij. Matthæi, Homilia lx.



Idéte, ne áliquem istórum contempseritis parvulorum, quia eórum Angeli Patris mei faciém semper aspiciunt, et quia ego propter eos veni, et hæc Patris mei volúntas est. Ad tuéndos conservandósque pusillos diligentíores nos reddit. Pérspicis quam ingéntia íntutélam tenúium mœnia eréxerit, et quantum stúdiúm curámque hábeat, ne perdántur, tum quia suprémás despiciéntibus eos pœnas státuit, tum quia summam pollicétur mercédem his, qui curam eórum suscipiunt, idque tam suo, quam Patris exémplo corróborat.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse

intercédat pro peccátis ómnium populórum. **V.** Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viij.

Dominum igitur étiam nos imitémur, et nihil pro frátribus omittámus, étiam eórum quæ humília víliaque nímium vidéntur : sed si administratióne nostra étiam opus fuerit, quamvis ténuis atque abjectus quidem, cui administrándum sit, fuerit, quamvis árdua nobis res, atque labóris plena esse videátur, ómnia hæc pro fratris salute tolerabilióra facilióraque, oro, videántur : tanto enim stúdio, tantáque cura Deus dignam esse ánimam osténdit, ut neque Fílio suo pépcerit.

R. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in máribus vestris : * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. **V.** Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester venturus sit. — Et vos. **G**loria Patri. Et vos.

Lectio 4.

SI non est nobis satis ad salutem, quod virtuose ipsi vivamus, sed oportet aliorum salutem ipsa desiderare; cum neque nos recte vivamus, neque alios hortemur, quid respondēbimus? quae nobis spes salutis reliqua erit? Quid majus, quam animis moderari, quam adolescentulorum fingere mores? Omni certe pictore, omni certe statuario, ceterisque hujusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui juvenum animos fingere non ignorat.

Te Deum. 18.

Vesperae a Capit. de seq.

DIE XXVIII. AUGUSTI.

S. Augustini

Episc. Conf. et Eccl. Doct.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. [70] praeter seq.

In utrisque Vesperis ad Magnif. Añā. O Doctor optime, Ecclesiae sanctae lumen, beate Augustine, divinae legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

V. Amavit eum.

Oratio.

ADesto supplicationibus nostris omnipotens Deus: et quibus fidu-

ciam sperandae pietatis indulges, intercedente beato Augustino Confessore tuo atque Pontifice, consuetae misericordiae tribue benignus effectum. Per Dñm.

Commem. praeced. Añā.

Hic vir despiciens mundum et terrēna, triumphans, divitias caelo condidit ore, manu.

V. Justum deduxit.

Deinde S. Hermetis Mart.

Añā. Iste sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, et a verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat supra firmam petram.

V. Gloria et honore.

Oratio.

DEus, qui beatum Hermetem Martyrem tuum virtute constantiae in passione roborasti: ex ejus nobis imitatione tribue pro amore tuo prospera mundi despiciere, et nulla ejus adversa formidare. Per Dominum.

In j. Nocturno, Lectiones.

Sapientiam omnium. pro Doctoribus. [90]

In II. Nocturno.

Lectio 10.



ugustinus, Tagaste in Africa honestis parentibus natus, ac puer docilitate ingenii

Lectio 6.

Aequales longe superans, brevi omnibus doctrina antecelluit. Adolescens, dum esset Carthagine, in Manichaeorum haeresim incidit. Postea Romam profectus, inde Mediolanum missus ut rhetoricam doceret, cum ibi frequens Ambrósii Episcopi esset auditor, ejus opera incensus studio catholicae fidei, annos natus triginta tres ab ipso baptizatur. Reversus in Africam, cum religione vitae sanctimoniam conjungens, a Valerio notae sanctitatis Episcopo Hipponensi Presbyter factus est. Quo tempore familiam instituit religiosorum; quibuscum victu communi, eodemque cultu utens, eos ad apostolicae vitae doctrinaeque disciplinam diligentissime erudiēbat. Sed cum vigeret Manichaeorum haeresis, vehementius in illam invehi coepit: Fortunatumque heresiarcham confutavit.

V. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. V. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocēbit ei. — Manus.

HAC Augustini pietate commotus Valerius, eum adiutorem adhibuit episcopalis officii. Nihil illo fuit humiliter, nihil continentius. Lectus ac vestitus moderatus, vulgaris mensa, quam semper sacra vel lectione, vel disputatione condiēbat. Tanta benignitate fuit in pauperes, ut cum non esset alia facultas, sacra vasa frangeret ad eorum inopiam sustentandam. Feminarum, et in eis sororis, et fratris filiae, contubernium familiaritatemque vitavit: quippe qui diceret, etsi propinqua mulieres suspectae non essent, tamen quae ad eas ventitarent, posse suspicionem efficere. Nullum finem fecit praedicandi Dei verbum, nisi gravi morbo oppressus. Haereticos perpetuo insectatus et coram, et scriptis, ac nullo loco passus consistere: Africam a Manichaeorum, Donatistarum, Pelagianorum, aliorumque praeterea haereticorum errore magna ex parte liberavit.

V. Posui adiutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea:

* Manus enim mea auxiliabitur ei. *℟.* Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vij.

TAM multa pie, subtiliter, et copiose scripsit, ut christianam doctrinam maxime illustrarit. Quem in primis secuti sunt, qui postea theologiam disciplinam via et ratione tradiderunt. Wandalis Africam bello vastantibus, et Hipponem tertium jam mensem obsidentibus, in febrim incidit. Itaque cum discessum e vita sibi instare intelligeret, Psalmos David, qui ad penitentiam pertinent, in conspectu positos profusus lacrimis legebat. Solebat autem dicere, neminem, etsi nullius sceleris sibi conscius esset, committere debere, ut sine penitentia migraret e vita. Ergo sensibus integris, in oratione defixus, astantibus fratribus, quos ad caritatem, pietatem, virtutesque omnes erat adhortatus, migravit in celum. Vixit annos septuaginta sex, in episcopatu ad triginta sex. Cujus corpus primum in Sardiniam de-

latum, deinde a Luitprando Longobardorum rege magno pretio redemptum, Ticinum translatum est, ibique honorifice conditum.

℟. Iste est. [78]

In *ijj. Nocturno, Homilia.* Ostendit Dominus. de *Comm. Doct. j. loco. [93]*
In *Laud. fit Commem. simplicis, Aña.* Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

℟. Justus ut palma.

Vesperæ de sequenti.

DIE XXIX. AUGUSTI.

In Decollatione
S. Joannis Baptistæ.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Añæ et Capitulum de Laudibus. 774.

Psalmi ut in j. Vesperis de Communi Apostol. [2]

Hymnus.

DEus tuorum militum
Sors, et corona, præmium,

Laudes canentes Martyris
Absolve nexu criminis.

*Hic nempe mundi gaudia,
Et blanda fraudum pabula
Imbuta felle deputans
Pervenit ad cœlestia.*

*Pœnas cucurrit fortiter,
Et sustulit viriliter,*

Fundensque pro te sanguinem
Æterna dona possidet.

*Ob hoc precatu supplici
Te poscimus piissime :
In hoc triumpho Martyris
Dimitte noxam servulis.*

*Laus et perennis gloria
Patri sit, atque Filio,
Sancto simul Paraclyto,
In sempiterna sæcula.*

Amen.

℟. Gloria et honore coronasti eum Domine. *℟.* Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Ad Magnif. Aña. Misso Herodes spiculatore, præcepit amputari caput Joannis in carcere : quo audito, discipuli ejus venerunt, et tulerunt corpus ejus, et posuerunt illud in monumento.

Oratio.

SANCTI Joannis Baptistæ, Præcursoris et Martyris tui, quæsumus Domine, veneranda festivitas, salutaris auxilii nobis præstet effectum. Qui vivis et regnas.

Commem. præced. Aña.
O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beate Augustine, divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

℟. Justum deduxit.

Oratio.

ADesto supplicationibus nostris omnipotens Deus : et quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges, intercedente beato Augustino Confessore tuo atque Pontifice, consuetae misericordiae tribue benignus effectum.

Postea S. Sabinæ Mart. Aña. Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas : inventa una pretiosa, dedit omnia sua, et comparavit eam.

℟. Spécie tua.

Oratio.

DEUS, qui inter cetera potentia tuæ miracula etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti : concede propitius, ut qui beatæ Sabinæ Martyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exemplum gradiamur. Per Dñm.

AD MATUTINUM.

Invitator. et reliqua hic non propria dicuntur de Comm. unius Mart. [30]

In I. Nocturno.

Incipit Jeremias Propheta.

Lectio j. Cap. j.



Erba Jeremiæ filii Helciæ, de sacerdotibus, qui fuerunt in Anathoth, in terra

Bénjamin. Quod factum est verbum Dómini ad eum in diébus Josiæ filii Amon regis Juda, in tértio décimo anno regni ejus. Et factum est in diébus Jóakim filii Josiæ regis Juda, usque ad consumatiónem undécimi anni Sedeciæ filii Josiæ regis Juda, usque ad transmigratiónem Jerusalem, in mense quinto. Et factum est verbum Dómini ad me, dicens: Priúsqvam te formárem in útero, novi te: et ántequam exíres de vulva, sanctificávi te, et Prophétam in Géntibus dedi te.

R. Misit Heródes rex manus, ac tenuit Joánnem, et vinxit eum in cárcere, quia metuébat eum, propter Herodiádem, * Quam túlerat fratri suo Philíppo uxórem. **V.** Arguébat Heródem Joánes propter Herodiádem. — Quam.

Lectia ij.

ET dixi, A a a, Dómine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dóminus ad me: Noli dicere: Puer sum: quóniam ad ómnia, quæ mittam te, ibis: et univér- sa, quæcúmque mandávero tibi, loqueris. Ne tí-

meas a fácie eórum: quia tecum ego sum, ut éruam te, dicit Dóminus. Et misit Dóminus manum suam, et tétigit os meum: et dixit Dóminus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constitui te hódie super Gentes, et super regna, ut evéllas, et déstruas, et dispérdas, et díssipes, et aedífices, et plantes.

R. Joánes Baptista arguébat Heródem, * Propter Herodiádem, quam túlerat fratri suo vivénti uxórem. **V.** Misso Heródes spiculátore, præcépít amputári caput Joánnis in cárcere. — Propter.

Lectia iij.

TU ergo accíngelumbos tuos, et surge, et lóquere ad eos ómnia quæ ego præcipio tibi. Ne formídes a fácie eórum: nec enim timére te fáciam vultumeórum. Ego quippe dedi te hódie in civitátem munitam, et in colúmnam férream, et in murum æreum, super omnem terram, régibus Juda, princípibus ejus, et sacerdotibus, et pópulo terræ. Et bellábunt advérsus te, et non prævalébunt: quia ego tecum sum, ait Dóminus, ut líberem te.

R. Puéllæ saltánti impetrávit mater: * Nihil áliud petas, nisi caput Joánnis. * Et contristátus est rex propter jusjurándum, et propter simul discumbéntes. **V.** Ait puélla matri suæ: Quid petam? at illa ait. — Nihil. **Gloria Patri.** Et contristátus.

In II. Nocturno.

Ex libro sancti Ambrósii Epísopi de Virgínibus.

Lib. 3. post initium.

Lectia iv.

Uóniam beáti Joánnis Baptistæ non strictim prætereúnda est recordátio, interés, ut quis, et a quibus, et quam ob causam, quo modo, et quo témpore sit occisus, advértere debeamus. Ab adúlteris justus occiditur, et a reis in júdicem capitális scéleris pœna convértitur. Deínde præmium saltatrics, mors est Prophætæ. Postrémo (quod étiam omnes bárbari horrére consueverunt) inter épulas atque convívium consummándæ crudelitátis profératur edíctum: et a convívio ad cárcerem, de cárcere ad convívium ferális flagítii circumfératur obséquium.

Quanta in uno facinore sunt crimina!

R. Justus germinábit sicut lílium: * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. **V.** Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. — Et florébit.

Lectia v.

Quis non, cum e convívio ad cárcerem cursári vidéret, putáret Prophétam jussum esse dimítti? Quis, inquam, cum audisset natalem esse Heródis, solémne convívium, puéllæ optiónem eligéndi quod vellet datam, missum ad Joánnem ob solutiónem non arbitrarétur? Quid crudelitáti cum delíciis? quid cum funéribus voluptáti? Rápitur ad pœnam Prophéta convíviali témpore, convíviali præcépto, quo non cúperet vel absolvi: perimitur gládio, caput ejus affératur in disco. Hoc crudelitáti férculum debebátur, quo insatiáta épulis féritas vescerétur.

R. Iste cognóvit justítiam, et vidit mirabilia magna, et exorávit Altísimum: * Et invéntus est in número sanctórum. **V.** Iste est qui contémpsit

vitam mundi, et pervēnit ad cœlestia regna. — Et inventus.

Lectio vij.

INtuere rex acerbissime, tuo spectacula digna convivio. Porrige dexteram, ne quid sævitiæ tuæ desit, ut inter digitos tuos, rivi desluent sacri cruoris. Et quoniam non exsaturari epulis famas, non restringui poculis potuit inauditæ sævitiæ sitis: bibe sanguinem scaturientibus adhuc venis exsecti capitis profluentem. Cerne oculos in ipsa morte sceleris tui testes, aversantes conspectum deliciarum. Clauduntur lumina non tam mortis necessitate, quam horróre luxuriæ. Os aureum illud exsanguis, cuius sententiam ferre non poterat, conticescit, et adhuc timetur.

R. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. **V.** Descenditque cum illo in foveam: et in vinculis non dereliquit eum. — Et dedit. **Gloria Patri.** Et dedit.

In III. Nocturno.
Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio vij. Cap. vij. e

IN illo tempore: Misit Herodes ac tenuit Joannem, et vinxit eum in carcere propter Herodiam uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi. **Serm. x. in novis Sermonibus.**

QUAM sanctum Evangelium legeretur, crudèle spectaculum ante oculos nostros constitutum est: caput sancti Joannis in disco, feralis missus crudelitatis propter odium veritatis. Puella saltat, et sævit mater: et inter lascivias et delicias convivantium temere juratur, et impie quod juratur, impletur. Factum est Joanni, quod ipse prædixerat. De Domino enim Jesu Christo dixerat: Illum oportet crescere, me autem minui. Iste minutus est in capite, ille crevit in cruce. Odium peperit veritas. Non potuit æquo animo tolerari, quod homo Dei sanctus monēbat: qui utique salutem eorum quærēbat, quos sic monē-

bat. Respondērunt illi mala pro bonis.

R. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. **V.** Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. — Et.

Lectio vij.

Quid enim ille diceret, nisi quo plenus erat? Et quid illi responderent, nisi quo pleni erant? Ille triticum seminavit, sed spinas invenit. Dicebat regi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui. **V.** Vincēbat enim regem libido: tenēbat apud se prohibitam uxorem fratris sui. Sed eum tamen sic libēbat, ut non sæviret. Honorābat eum, a quo verum audiēbat: sed mulier detestabilis odium concipiēbat, quod aliquando dato tempore pareret. Quando autem parturiēbat, peperit filiam, filiam saltantem.

R. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. **V.** Cibavit illum Dominus pane vitæ et intellectus:

et aqua sapientiæ salutaris potavit illum. — Et. **Gloria Patri.** Et.

Pro S. Sabina Martyre.

Lectio iv.

SABINA mulier Romana, Valentini viri clarissimi uxor, a Seraphia virgine christiænæ fidei præceptis instituta, post sanctæ Virginis martyrium collectas ejus reliquias piis exsequis sepelivit. Quæ propter eam causam paulo post Hadriano imperatore comprehensa, Elpidio judici sistitur. Cui is: Tu ne illa Sabina, et genere et matrimonio nobilissima? At illa, Sum, inquit: sed Domino meo Jesu Christo gratias ago, qui me, intercessione Seraphiæ famulæ suæ, e dæmonum potestate liberavit. Quam varie tentatam, ut propositum mutaret, cum a fidei constantia movere non posset, præfectus, pronuntiata sententia quod deos contemneret, capitis damnavit. Ejus corpus a Christianis in eodem sepulcro conditum est, in quo ipsa magistræ fidei suæ Seraphiam posuerat.

Te Deum laudamus. 18.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Heródes enim *ténuit et ligávit Joánnem, et pósuit in cárcerem propter Herodiádem.

2. Dómine mi rex, * da mihi in disco caput Joánnis Baptistæ.

3. Puéllæ saltánti * imperávit mater: Nihil áliud petas, nisi caput Joánnis.

4. Arguébat Heródem Joánnes propter Herodiádem, quam túlerat fratri suo Philípโป uxórem.

5. Da mihi in disco * caput Joánnis Baptistæ: et contristátus est rex propter jusjurándum.

Capitulum. Jac. j. b

BEátus vir, qui suffert tentatióem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus.

INvícte Martyr, únicum Patris secútus Fílium, Victis triúmphas hóstibus,

Victor fruens cœlestibus.

Tui precátus múnere

Nostrum reátum dílué,

Arcens mali contágium,

Vitæ repéllens tædium.

Solúta sunt jam víncula Tui sacráti córporis:

Nos solve vinclis sæculi, Dono supérni Núminis.

Deo Patri sit glória, Ejúsque soli Fílio,

Cum Spíritu Paráclito, Nunc, et per omne sæculum. Amen.

¶ Justus ut palma florébit. *R.* Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Añæ. Misso Heródes spiculátore, præcépit amputári caput Joánnis in cárcere: quo audíto, discípuli ejus venérunt, et túlerunt corpus ejus, et posuérunt illud in monumento.

Oratio.

Sancti Joánnis Baptistæ, Præcursóris et Mártiris tui, quæsumus Dómine, veneránda festívitatis, salutáris auxilií nobis præstet efféctum. Qui vivis et regnas.

Pro Commem. S. Sabinae, Añæ. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. *V.* Diffúsa est.

Oratio. Deus. 769.

AD TERTIAM.

Capit. ut ad Laudes.

R. br. Glória et honóre,

* Coronásti eum Dómine,

Glória. *V.* Et constituísti

eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória et honóre.

¶ Posuísti Dómine super caput ejus. *R.* Coronam de lápide pretiósio.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. xv. **C**ibávit illum pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum Dóminus Deus noster.

R. br. Posuísti Dómine, * Super caput ejus. Posuísti. *V.* Coronam de lápide pretiósio. Super caput. Glória Patri. Posuísti.

¶ Magna est glória ejus in salutári tuo. *R.* Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. xxxix. **I**ustus cor suum trádidit ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

R. br. Magna est glória ejus, * In salutári tuo. Magna. *V.* Glóriam et magnum decórem impónes super eum. In salutári. Glória Patri. Magna.

¶ Justus ut palma florébit. *R.* Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

IN II. VESPERIS.

Añæ et Capit. de Laudibus. 774. Psalmi ut in j. Vesperis de Comuni Apost. [2] et loco ultimi Ps. Crédidi. [19]

Hymn. ut in j. Vesp. 768. *V.* Justus ut palma florébit. *R.* Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnif. Añæ. Misit rex incredulus ministros detestábiles, et amputári jussit caput Joánnis Baptistæ.

Commem. sequentis, et SS. Martyrum, ut infra.

DIE XXX. AUGUSTI.

S. Rosæ a S. Maria, Virg. Limanæ. Duplex.

Omnia de Comuni Virginum [122] præter seq.

Añæ. Veni sponsa Christi, accípe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum. *V.* Spécie tua.

Oratio.

Bonórum ómnium largítor, omnipotens Deus, qui beátam Rosam, cœlestis grátie rore prævéntam, virginitátis et paciéntiæ decóre Indis floréscere voluísti: da nobis fámulis tuis; ut in odórem suavitátis ejus currétes, Christi bonus odor éffici mereámur. Qui tecum.

Postea SS. Felicis et Adaucti Martyrum, Añā. Istōrum est enim regnum cœlorum, qui contempsērunt vitam mundi, et pervenērunt ad præmia regni, et lavērunt stolas suas in sânguine Agni.

✠. Lætāmini in Dómino.

Oratio.

MAjestātem tuam Dómine súplices exorāmus : ut sicut nos júgiter Sanctōrum tuōrum commemoratiōne lætíficas, ita semper supplicatiōne defēdas. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

LECTIO I^{ta}.

Rimus Américæ Meridionālis flos sanctitātis virgo Rosa, christiānis paréntibus Limæ progénita, mox ab incunābulis cláruit futúræ sanctimóniæ indiciis : nam vultus infántis mirabiliter in rosæ effigiem transfigurátus, huic nómini occasiōnem dedit : cui póstea Virgo Deípara cognómen adjécit, jubens vocári deinceps Rosam a sancta María. Quinquénis votum perpétuæ virginitātis emisit. Adúltior, ne

a paréntibus ad nuptias cogereátur, clam sibimet venustissimam cápitis cæsáriem præscídit. Jejúniis supra humanum modum addicta, íntegras Quadragésimas transégit pape ábstinens, ac diétim solis quinque gránulis mali cítrini víctitans.

✠. Propter veritātem, et mansuetúdinem, et justitiam : * Et dedúcet te mirabiliter dextera tua. ✠. Spécie tua et pulchritúdi- ne tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet te.

LECTIO II.

Habitu Tértii órdis sancti Domínici assumpto, pristinas vitæ austeritātes duplicávit : oblóngo asperrimóque cílicio sparsim minúsculas acus innéxit : sub velo corónam densis acúleis intrórsus obarmátam intrédu noctúque gestávit. Sanctæ Catharinæ Senénsis árdua premens vestígia, caténa férrea, tríplici nexu circumdúcta, lumbos cinxit. Léctulum sibi e truncis nodósis compósuit, horúmque vácuas commissúras fragmínibus testārum implévit. Cél- lam sibi angustissimam

struxit in extrémō horti ángulo, ubi cœléstium contemplatiōni dēdita, crebris disciplínis, inédia, vigiliis corpúsculum extēnuans, at spíritu vegetáta, larvas dæmonum, fréquenti certámine victrix, impávide protrívit, ac superávit.

✠. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitātem : * Propterea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætitiæ. ✠. Propter veritātem, et mansuetúdinem, et justitiam. — Propterea.

LECTIO III.

Egritúdinum tormētis, domesticórum insúltibus, linguárum mórsibus dire agitáta, nondum satis pro mérito se afflígi querebátur. Per quíndecim annos ad plúsculas horas desolatiōne spíritus, et ariditate misérime contabescens, forti ánimo tulit agónes omni morte amarióres. Exín- de cœpit supérnis abundāre deliciis, illustrári visiōnibus, colliquescere seráphicis ardóribus. Angelo tutelári, sanctæ Catharinæ Senénsi, Virgini Deíparæ inter assíduas apparitiōnes mire familiáris, a Christo has vo-

ces audire méruit : Rosa cordis mei, tu mihi sponsa esto. Dénique sponsi hujus paradíso feliciter invéctam, plurimisque ante et post óbitum miráculis corúscam, Clemens décimus Póntifex máximus sanctárum Virgínium catálogo ritu solémni ascrípsit.

✠. Afferéntur. [133]

In ij. Nocturno, Homilia. Sæpe vos, fratres. de Comuni. [136]

Pro SS. Felice et Adaucto Martyribus. **LECTIO IV.**

Felix, Diocletiano et Maximiano imperatoribus, propter susceptam Christi religionem comprehensus, in Serapidis templum adductus est. Cui sacrificare cum juberetur, os simulacri conspuvit. Quo facto, statim ærea statura corruit. Quod cum iterum ac tertio in aede Mercurii, Dianæque factum esset; impietatis, et magicæ artis accusatus, equuleo torquetur. Mox ad secundum ab Urbe lapidem via Ostiensis ducitur, ut securi feriretur. Cui inter viam oblatus quidam Christianus, cum Felicem agnoscens ad martyrium duci vidē-

ret, Ego quoque, clara voce inquit, eadem, qua iste, lege vivo : ego eumdem Jesum Christum colo. Itaque Felicem osculatus, cum eo securi percütitur, tertio Kalendas Septembris : cujus nomen cum ignotum esset Christianis, is Adaucti nomine nobilitatus est, quod sancto Martyri Felici adauctus sit ad coronam.

Te Deum laudamus. 18. In Laud. fit Commem. simpl. Añã. Vestri capilli capitis omnes numerati sunt: nolite timere: multis passibus meliores estis vos. ✠. Exsultabunt.

Vesperae a Capitulo de sequenti.

DIE XXXI. AUGUSTI.
S. Raymundi Nonnati

Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. [97] praeter sequentia. (m. t. v.)

Oratio.

DEus, qui in liberandis fidelibus tuis ab impiorum captivitate, beatum Raymundum Confessorem tuum mirabilem effecisti : ejus nobis intercessione concede; ut a peccatorum vinculis absoluti, quae tibi sunt placita,

liberis mentibus exsequamur. Per Dominum.

Commem. praecedentis, Añã. Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus preparavit in aeternum.

✠. Diffusa est.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

LECTIO IV.

RAymundus, Nonnatus cognomento dictus, quia praeter communem naturae legem e mortuae matris dissecto latere in lucem educatus fuit, Portelli in Catalaunia piis et nobilibus parentibus ortus, ab ipsa infantia futurae sanctitatis indicia dedit. Nam puerilia oblectamenta, mundique illecebras respuens, ita pietati operam dabat, ut omnes in puero adultam virtutem admirarentur. Crescente vero aetate, literarum studiis incubuit : sed mox jubente patre vitam ruri agens, sacellum sancti Nicolai in Portelli finibus situm crebro adibat, ut sacram Deiparae imaginem, quae in eo summa fidelium veneratione etiam nunc colitur, visitaret. Ibi effusus in preces.

ipsam Dei parentem, ut se in filium adoptare viamque salutis, ac scientiam Sanctorum edocere dignaretur, enixe deprecabatur.

✠. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum : * Et dedit illi claritatem aeternam. ✠. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. — Et dedit illi.

LECTIO V.

NEC defuit votis ejus benignissima Virgo : ab ipsa enim intellexit, gratissimum sibi fore, si religionem, sub titulo de Mercede, seu de Misericordia Redemptionis Captivorum, ea suggerente nuper fundatam, ingrederetur. Qua monitione percepta, Barcinonam statim profectus, illud tam praecellens erga proximum caritatis institutum amplexus est. Regulari igitur militiae ascriptus, virginitatem, quam pridem beatae Virgini consecraverat, perpetuo coluit, ceterisque virtutibus enituit, caritate praesertim erga Christianos, qui sub potestate paganorum miseram in

captivitate vitam degerebant. Hos ut redimeret, in Africam missus, cum jam multos a servitute liberasset, ne, consumpta pecunia, aliis item in proximo abnegandae fidei discrimine constitutis deesset, se ipsum pignori dedit; sed cum ardentissimo salutis animarum desiderio succensus, plures Mahometanos suis concionibus ad Christum converteret, in arctam custodiam a barbaris conjectus, variisque suppliciis cruciatus, mox labiis perforatis et sera ferrea clausis, crudele martyrium diu sustinuit.

✠. Amavit eum Dominus, et ornavit eum : stolam gloriae induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. ✠. Induit eum Dominus loricae fidei, et ornavit eum. — Et ad portas.

LECTIO VI.

OB haec et alia fortiter gesta, sanctitatis ejus fama longe lateque diffusa est : qua permotus Gregorius nonus, in amplissimum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium collegium Raymundum ascripsit : sed vir Dei in ea dignitate ab omni pompa

abhórens, religiósæ humilitátis tenacíssimus semper fuit. Romam vero pergens, statim ac Cardónam pervénit, extrémorbo confectus, ecclesiásticis sacraméntis muníri summis précibus postulávit. Cumque morbus ingravésceret, et sacerdos diútius tardáret, Angelórum ministério, sub specie religiosórum sui órdinis apparéntium, salutári viático refectus fuit. Quo sumpto, et grátiis Deo peractis, migrávit ad Dóminum Dominica última Augústi, anno millésimo ducentésimo quadragésimo. Mórtaui corpus, cum circa locum sepultúrae conténtio orta esset, arcae inclúsum, et mulæ cæcæ impósitum, ad sacéllum sancti Nicolái Dei nutu delátum fuit, ut ibi tumularéretur, ubi prima jécerat sanctióris vitæ fundaménta. Illic constrúcto sui órdinis cœnóbio, a confluentibus voti causa ex univérsa Cataláunia fidelibus pópulis honorátur, váriis miraculis et signis gloriósus. **℟.** Iste. [105]

In iij. Nocturno, Homilia. Sancti Evangélii, fratres. **de Comuni.** [108]

In Vesperis fit Commemoratio sequentis etc.

Festa Septembris.

Prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum. [224]

DIE I. SEPTEMBRIS.

S. Ægydii

Abbatis.

In Vesperis. Aña. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℞. Amávit eum.

Oratio.

Intercéssio nos, quæsumus Dómine, beáti Ægíidii Abbátis comméndet: ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocinio assequámur. Per Dóminum.

Deinde fit Commemor. SS. XII. Fratrum Mart.

Aña. Istórum est enim regnum cœlórum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in ságuine Agni. **℞.** Lætámini.

Oratio.

Fratérna nos Dómine Mártýrum tuórum coróna lætíficet: quæ et

fidei nostræ præbeat incrementa virtutum, et múltiplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum nostrum.

Lectio iij.



Gídius Atheniénsis, régiaæ stirpis, a prima ætáte divínis litteris, et caritátis officii ita déditus fuit, ut nihil prætereá curáre viderétur. Itaque paréntibus mórtaui, totum patrimonium in páuperes erogávit: quin étiam tunicam exiit, ut ægrórum egéntem tégeret; qua ille indútus statim conváluit. Sed multis deinceps clárior miraculis, timens sui nóminis celebritátem, Arelátem ad beátum Cæsárium conténdit: a quo post biénnum discédens, secessit in erémum: ubi diútius herbárum radicibus et cervæ lacte, quæ statis ad eum horis veniébat, admirábili sanctitáte vixit. Quæ cerva, insequentibus quodam die cánibus régiis, cum in antrum Ægíidii refugisset, Gálliaæ regem impulit, ut ab eo summis précibus péteret, ut in loco spelúncæ monastérium exstrui paterétur. Cujus admini-

stratióne, flagitánte rege, invítus suscepit: eoque múnere áliquot annis prudénter piéque gesto, migrávit in cœlum.

Te Deum laudámus. 18.

In Laud. Aña. Euge serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constitúam, intra in gáudium Dómini tui.

℞. Justum dedúxit.

Pro SS. XII. Frat. Mart. Aña. Vestri capilli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passeribus melióre estis vos. **℞.** Exsultábunt.

DIE II. SEPTEMBRIS.

S. Stephani

Hungariaæ Regis Confess. Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pontif. [97] præter sequentia. (m. t. v.)

Oratio.

Concède, quæsumus, Ecclésiæ tuæ omnipotens Deus: ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem habuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cœlis. Per Dóminum nostrum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Stephanus in Hungariam Christi fidem et regium nomen invexit. Régia coróna a Románo Pontífice impetráta, ejúsque jussu in regem inúctus, regnum sedi apostólicæ obtulit. Vária pietátis domicilia Romæ, Jerosólymis, Constantinópoli; in Hungária archiepiscopátum Strigoniensem, episcopátus decem, admirábili religióne, et munificentia fundávit. Par in páuperes amor et liberalitas, quos véluti Christum ipsum compléctens, néminem a se mœrentem, ac vácuum unquam dimisit; quin ad eórum inópiam sublevándam amplíssimis facultatibus erogátis, domésticam quoque supellétillem exímia benignitate frequenter distribuit: suis insuper mánibus laváre páuperum pedes, noctu solus et ignótus nosocomia frequentáre, decumbéntibus inservíre, ac cétera caritátis officia exhibere consuévit: quarum virtútum mérito illius dextera, resolutó cétero corpore, incorrupta permánsit.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. *V.* Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Orándi stúdio noctes pene totas ducébat insómnes, atque in cœlestium rerum contemplatióne defixus, interdum extra sensus raptus, sublimis in æra ferri visus fuit. Perduéllium conspiratiónes, ac validórum hóstium ímpetus, miro prorsus modo, non semel oratiónis præsidio evitávit. Susceptum ex Ghisélla Bavárica sancti Henrici imperatóris soróre, quam sibi matrimónio júnxerat, Emericum filium tanta morum disciplina, talique pietate enutrívit, quantum ejus póstea sánctitas declarávit. Regni vero negótia ita dispósuit, ut accitis úndique prudentíssimis ac sanctíssimis viris, nihil unquam sine illórum consílio molirétur. Humíllimis ínterim précibus in cinere et cilicio Deum déprecans, ut univérsum Hungáriæ re-

gnum, ántequam e vita migraret, cathólicum videre mererétur. Vere propter ingens dilatándæ fidei stúdiu, illius gentis Apóstolus nuncupátus, facta a Románo Pontífice ipsi, posterisque régibus præferéndæ crucis potestate. *R.* Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronávit eum. *V.* Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

DEI Genitricem, quam ardentissime venerabátur, amplíssimo in ejus honórem constrúcto templo, Hungáriæ patrónam instituit; ab eadem vicíssim Vírgine recéptus in cœlum ipso suæ Assumptiόνis die, quem Húngari e sancti regis institúto Magnæ Dóminæ diem appellánt. Sacrum ejus corpus suavíssimo fragrans odóre, liquóre cœlesti scattens, inter multa et vária miracula, Románi Pontíficis jussu, nobiliórem in locum translátum est, atque honorificentius conditum. Ejus autem festum Innocéntius undécimus Pontífex máximus quarto

Nonas Septémbris, ob insígnem victóriam ab exercitu Leopóldi primi Románorum elécti imperatóris, et Hungáriæ regis eádem die in Budæ expugnatióne, ope divína, e Turcis reportátam, celebrándum instituit. *R.* Iste. [105]

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. xix. b

In illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Et reliqua.

Homília sancti Ambrósii Episcopi. *Lib. 8. in Luc.*

Sonus ordo, ut vocatúrus Gentes, et Judæos jussurus interfici, qui noluerunt regnare supra se Christum, hanc præmitteret comparatióne, ne diceretur, Nihil dederat populo Judæórum, unde poterat melior fieri? ut quid ab eo, qui nihil recépit, exígitur? non mediocris ista est mna, quam supra mulier evangélica quia non invenit, lucernam accéndit, lumine quærit admoto, gratulátur inventam.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum :

* Ipse intercédât pro peccatis omnium populorum. **V.** Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. — Ipse intercédât.

Leectio viij.

Denique ex una decem mnas alius fecit, alius quinque. Fortasse iste moralia habet, quia quinque sunt corporis sensus : ille duplicia, id est, mystica legis, et moralia prohibitatis. Unde et Matthæus quinque talenta et duo talenta posuit. In quinque talentis ut sint moralia, in duobus utrumque, mysticum atque morale. Ita quod numero inferius, re uberius.

R. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ar-


dentes in manibus vestris:

* Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. **V.** Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. — Et vos similes. **Gloria Patri.** Et vos similes.

Leectio ix.

ET hic possumus decem mnas, decem verba intelligere, id est, legis doctrinam; quinque autem mnas, magisteria disciplinae. Sed legisperitum in omnibus volo esse perfectum. Non enim in sermone, sed in virtute est regnum Dei. Bene autem quia de Judæis dicit, duo soli multiplicatam pecuniam deferunt; non utique aeris, sed dispensationis usuris. Alia est enim pecuniae fenebris, alia doctrinae coelestis usura.

Te Deum. 18.



Commune Sanctorum.

In Vigiliis Apostolorum.



Fficiam fit de Feria, exceptis Lectionibus et Oratione, quae in propriis locis notantur. Ubi vero non sunt propriae Lectiones, legitur Evangelium cum Homilia seq.

Leectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Leectio j. Cap. xv. b

In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Hoc est praecceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papae.

Homilia xxvij. in Evang.

Cum cuncta sacra eloquia Dominicis plena sint praecceptis, quid est quod de dilectione, quasi de singulari mandato, Dominus

dicit, Hoc est praecceptum meum, ut diligatis invicem : nisi quia omne mandatum de sola dilectione est : et omnia unum praecceptum sunt? quia quidquid praecipitur, in sola caritate solidatur. Utenim multi arboris rami ex una radice prouident : sic multae virtutes ex una caritate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice caritatis.

R. de Feria pro temp.

Leectio ij.

Praeccepta ergo Dominica et multa sunt, et unum : multa per diversitatem operis, unum in radice dilectionis. Qualiter autem ista dilectio tenenda sit, ipse insinuat, qui in plerisque Scripturae